

444

C 21












MiroChamber C  
Beschleunigt  
KB







2  
KW 444  
C21

# ORATIO FVNEBRIS

Dicta honori & memoriæ  
maximi virorum

IOSEPHI IVSTI SCALIGERI.

Auctore

D. BAVDIO I. C.


*monium*  
Et Historiarum, in Illustri Academiâ  
Lugdun. Batavo. Professore.



LUGDVNI BATAVORVM.

Prostant apud Ludov. Elzevirium,  
& Andream Clouquium,

Anno 1609.





ORATIO FAMILIARIS

Dea deorum & demonum


TOFFIETTI BELLERII

B. PAVAROTI I. C.

Professore di Teologia

& di Filosofia

1700





ORATIO FVNEBRIS

3

*Dicta honori & memoria maximi virorum*

IOSEPHI IVSTI SCALIGERI.



ERBA defunt rebus immen-  
fis, nec se animus explicare po-  
test ingenti mœrore circum-  
fusus ac debilitatus. Utinam  
fas mihi foret horrore sacri si-  
lentij obsignare luctum, *Qui*  
*nunc me coquit, & versat sub pe-*  
*ctore fixus!* ad exemplum saga-  
cis illius pictoris, qui quum artificio excelleret, in-  
genio tamen magis abundabat: is velo obumbras-  
se dicitur quod penicillo exæquare desperabat. Sed  
salva pietate fieri non potest, ut hodierno die vox  
nostra obmutescat. Alterum restaret optandum  
ut mihi digna tali viro cōtingeret oratio, cui nunc  
supremum humanitatis officium mœror noster  
elargitur. sed tale votum excedit ipsam humanam  
sortem, nedum nostram mediocritatem. Illud ta-  
men animum ægrum ex dolore solatur ac reficit,  
quod in rebus arduis ipse conatus, licet infra meri-  
tum, licet impar voluntati, laudem meretur, *Et*  
*finem pietas contigit ista suum.* Dabit igitur benignitas  
vestra facilē veniam sermoni indiserto, labenti sub  
onere admirationis. In exordio mœstissimi mune-  
ris, quod honori ac memoriæ summi herois IOSE-

A 2

PHI



PHI SCALIGERI persolvendum habemus, usurpabo memorandam vocem Metelli Macedonici, cui cū esset nunciata mors Scipionis Æmiliani, cum quo vivente civiles inimicitias exercuerat, hoc modo filios suos amplissimis usos honoribus cohortatus esse dicitur, Ite filij, celebrate exsequias, nunquam majoris civis funus videbitis. Scilicet vir antiquæ simplicitatis, & Romana generositate dignus detulit inimico luculentum gloriæ testimonium, delevitque ex animo pristinæ similitudinis memoriam, ut solius virtutis recordaretur. Idem nunc licet nobis sine ambitionis metu pronūciare: nunquam vidit ætas parentum, nunquam videbunt anni cōsequentes virū, vel splendore & antiquitate gentis, vel sanctitate & innocentia morum, vel admirabili doctrina, & exquisitissima optimarum artium cognitione, vel omni concentu consensuque laudis præstantiorem. Si patria aut familiæ dignitas quidquam facit ad conciliandā justam venerationem excelsis mentibus, quid Galliarum regno in terris florentius? quid gente Scaligerorum honoratius dici aut excogitari potest? Quanquam benigna se differendi materies aperit, in qua facilius sit principium invenire, quàm servare modum & orationis exitum evolvere: tamen quia noster heros censu suo dives, & proprijs opibus potens, relegata fortunæ ambitione æstimandus est, tacitus hanc partē præteribo, contentus sola mentione parentis,  
viri



VIRI IOS. SCALIGERI. §

viri sine exēplo maximi, de quo quidquis præterea  
dixero minus erit, nisi majorem se filium genuisset.  
Quanquam plerumq; natura comparatum est ut  
fortes creentur fortibus, nec imbellē feroces proge-  
nerent aquilæ columbā: tamē ubi ad summū cacu-  
men gloria majorum evecta est, sæpius ea res negli-  
gentiam creat, efficitq; ut posteri malint acquiesce-  
re claritudini suorum parentum, quàm eam auge-  
re factis, & ulterius promovere. Plures per inertiam  
exiguo tempore decoquunt quidquid est antepar-  
tum secundæ famæ & existimationis. Iam eo ma-  
jestatis processerat augusta virtus & indoles IVLII  
CÆSARIS SCALIGERI, seu egregia belli facinora, seu  
pacis ornamenta & incredibilē ac penè divinam in  
omni disciplina scientiam consideremus, ut acces-  
sionis capax non ultra judicaretur, & abunde fu-  
turum esset ad assequēdum nominis æternitatem,  
si filius longo intervallo præviam patris lucem in-  
secutus esset. At ille cœlesti mente, & sacro quodam  
instinctu afflatus, tantum pristinis operibus cumu-  
lum & auctarium adjecit, ut nihil majus conditio  
mortalium animo ac votis complecti posse videat-  
ur. Nam quæ singula mirari solemus in excellēti-  
bus ingenijs & sublimibus naturis, ea junctim uni-  
versa solus possedit. Quam enim partem literarum  
non dicam intactam aut inexpertam reliquit, sed  
curiosa felicitate non ita pertractavit, ut nihil il-  
lum fugeret quod esset perceptione dignum, & in

A 3 quo



quo statuisset sibi esse elaborandum? Olim raræ laudis, & magnæ molis opus videbatur, si quis utriusque linguæ sermones doctus esset, & hoc in equitate Romano celebrat Romanæ fidicen lyræ: quid diceret, *Si foret hic nostrum fato delatus in ævum?* quàm defixus hæreret, quàm stuperet attonitus miraculo, si nostri herois inauditam hac in parte memoriam, vim atque solertiam fando, vel oculorum fide arbitratus esset! Vix ullum in universo terrarum orbe genus est idiomatis, cuius extent monumenta consecrata perennitati literarum, quod non assiduitate laboris peruestigarit: & quod admirationē auget, non vivæ vocis præsidio, non ope interpretis subnixus hæc molestias exantlavit, sed suis auspicijs rē gessit, usus tantum mutis illis magistris, quos fidelissimos consiliarios appellabat eximius regum Alphonsus. Nō sine verisimili ratione creditur, inter impedimenta bonæ mentis, & inter causas cur hodie tam pauci ad antiquitatis perfectionē perveniant, numerandum esse hoc incōmodum, quod tantum curæ studijque linguis addiscendis impendere cogimur, quum veteres protinus se ad artium ipsarum penetrabilia conferrent. Et sanè varietas loquelarum non instruit nos scientia rerum, sed viatico tantum, & necessario subsidio ut ad eā longo circuitu diversisq; tramitibus progrediamur. Hoc ut verum esse concedam in hominibus mediocri ingenio præditis, ita vanissimum deprehenditur in animis

omn

8 A

mis



mis diviniorebus, qui tam celeriter arripiunt res specie diffitas, numero infinitas, tanquam genio suo cognatas & consentaneas, ut probabilem efficiant quorundam Philosophorum amabilem insaniam, qui sic opinati sunt, nihil aliud esse discere, quam reminisci & recordari. Quibusdam ingenijs raro caeli favore concessum est, ut per ludum & aliud agendo plus efficiant, quam alij improbo ac pertinaci labore. Scilicet ut stellarum orbis admirabili celeritate cursus suos conficiunt sine sensu laboris, sine taedio lassitudinis, & in perpetuo motu nunquam defatigantur: ita mentes, quae caelo plurimum imputant, ipsa contentione animi, ingenij, virium reficiac reparari videntur.

*Duris ut ilex tonsa bipennibus*

*Per damna per cades ab ipso*

*Ducit opes animumque ferro.*

Non possumus ex omni vetustatis memoria citare locupletius documētum, quam divinum illum senem, cui jam parentamus ut communi literarum parenti, & cujus dignitati fasces submittere convenit, tanquam perpetuo scientiarum omnium Dictatori. Quamquam vix fidem habitura est posteritas unum hominem tot linguarum intelligentiam se magistro esse consecutum, tamen illa dos admiranda seu memoriae, seu diligentiae, tantum accessionis instar obtinet in comitatu majorum laudum atque virtutum. Quidquid ab orbe condito proditum est annalium aut historia-

rum



rum monumentis, five a sacris, five a profanis authoribus, id omne ab eius mente, tanquã ex oraculo quodã & sanctuario depromi poterat, nec unquam quisquam discendi studio incitatus ad eum accessit, quin recederet doctior & ad vitam sapienter instituendam paratior. Non enim scientiam aucupabatur ad solam animi oblectationẽ, ut sibi caneret ac suis Musis, non ad vanam ostentationem, ut scire tantũ videretur, quẽ admodum nummis & calculis utimur ad numerandum: sed ut eam in commune conferret, & publicis usibus impartiretur. Cujus rei fidem faciunt æternæ laudis & artis pignora, quæ seculo deposuit permanfura donec in terris erunt cultores honoris, sapientiæ, atque eruditionis. Nulla vox est, nullum orationis genus tam ornatum, copiosum atque magnificentum, quotalia pro dignitate celebrari possint. tum autem vetat Solonis sanctio ne divina res fiat in transcurso. Reverentius hæc illibata judicijs & cogitationibus religiosi auditoris permittuntur, quàm si ingenij culpa deterrantur. Simplici voto designaturus videor temporum felicitatem ab omni parte perfectam & absolutam, si quicumq; ad rem literariam animũ appellunt ita nervos ingenij explicent, ut ejusmodi scripta vel intellectu consequi, vel ingenuo saltem amore complecti queant. Nam pleraque gravioris meditamenti sunt ex ea nota, quæ profanum vulgus arcent ab ingressu, nec patent nisi quibus intima doctrinarum adyta recluduntur. Quis enim nisi interioribus literarum sacris



cris diu multumque operatus aufit illotis manibus  
 attrectare paginas illas, quibus annorum descriptio-  
 nes, emendatio temporum, & accuratissima omnium  
 ætatum ratio ac disciplina continetur? quis nisi cum  
 stupore accedat in lucos Eusebij nunc luce meridiana  
 clariores? In Criticis omnium rectè æstimantium ju-  
 dicio princeps sine controversia, sine æmulo ac rivali  
 dominatur. Quàm multi sunt qui totam in ea parte  
 studiorum ætatem consumpserunt, & eam famam  
 adepti sunt ut columnina literarum, & ornamenta fe-  
 culi perhibeantur, qui tamen nullo modo sunt cum  
 nostro naturæ miraculo conferendi? Ille est aquila in  
 nubibus, ille

ὁ ὁ πέπνυται ὁ δὲ σκίαί αἴσσοσι.

*Solus hic est sapiens, alij volitant velut umbra.*

Quoties ejus meminerunt duo de trium viris reipubl.  
 literariæ (non est obscurum quos hoc elogio desi-  
 gnari cupiam) tanquam de divino quodam viro, non  
 de homine mortali loquuntur. Sed quid opus est per  
 conjecturas, per interpretes & testimonia veritatem  
 exquirere, quum in medio perscriptæ sint authorita-  
 tes ipsius viri majores omni exceptione, quibus cum  
 æternitate seculorum famam nominis sui conjunxit  
 & exæquavit? Nullus est alicujus notæ scriptor Græ-  
 cus aut Latinus, cui non lucem aliquam fœneratus  
 sit. Præclara sunt, & supra omnem commendationis  
 aleam assurgunt ea quæ cum usu publico communi-  
 cavit, nec minora censerit debent quæ intra Vestæ pe-

B           etra-



netralia liberali custodia asservavit, ut erat fugitans  
ambitionis, & ipse sui contemptor præsertim in ejuſ-  
cemodi studiorũ diverticulis & amœnitatibus, quum  
tamen plerique ex hoc mustaceo laureolam quærant,  
& mirificè sibi placeant si vocem aliquam obsoletæ  
vetustatis, *Verbaque cinctutis vix exaudit a Cethegis* è  
situ & squalore in lucem revocarint. Philologiam  
ille quidem adamavit, sed quum intervalla negotio-  
rũ otio insititio dispungere voluit, & hoc exercitatio-  
nis genus habuit inter laxamenta curarum. Quippe  
quum acer ille animus, & æmulator cœli, unde origi-  
nem ducebat, non posset nihil agere, mutationẽ labo-  
ris instar refectionis arbitrabatur. Cato Censorius, ut  
memoriæ proditum est, in originibus magnificè & sa-  
pienter scripsit, viris claris & eminentibus non minus  
otij, quàm negotij reddendam esse rationem. Erat &  
apud Athenienses *ἀγρίας δῖον* adversus desides & igna-  
vos. Si nostro incomparabili viro libuisset in lucem  
aspectumque proferre quidquid sub acumen stili ve-  
niebat, quum mentem gravioribus curis fessam hu-  
maniorum literarum solatio recrearet: nihil forsitan  
supereffet quod in Criticis desideraremus. Longè post  
habenda essent aliorum seria ludicris ejus, & animi  
remissionibus. Quum autẽ inflammavit eum igneus  
vigor, & afflavit sacer ille spiritus, ut ad Poësim accin-  
geretur, quis cum eo paria fecit? quem non longo in-  
tervallo post se reliquit? Quis in Græcis viam vidit qua  
iretur ad carmen, aut visam feliciori pede calcavit?  
Omnia



Omnia captu seculi nostri superiora sunt, & ad eruditissimæ antiquitatis gloriam adspirant. nec fucō aut lenocinijs, sed in affectata simplicitate & naturali pulcritudine assurgunt. quodque argumentum est absolutissime scriptiois, omnes vel mediocriter literis imbuti, quum ejus Poëmata in manus sumunt, si quid habent ingenuæ indolis, eadem sibi in mentem venire posse vano credulitatis errore imaginantur: sed ubi in rem præsentem, & ad experientiæ specimen venit, sudabunt plus fatis, & nisi sint prorsus excordes, ultro imbecillitatem suam agnoscent, & suo se modulo ac pede metiri verum arbitrabuntur. Hoc opus, hic labor est. Ego plurimū genio meo gratulor, quod ex maximi viri consuetudine, & intima admissione fructum hunc reportavi, ut quanquam absū longissimè a facultate condendi monumenta perfectæ curæ aut artis, tamen haud omnium absurdissimè forsitan de claris operibus sententiam ferre possim. Benignius enim & indulgentius patet judicandi dexteritas, quàm efficiendi potestas. Caterùm qui (ut cum Platone loquar) nō pepulit fores Poëticas, is si de præstantissimo vate judicium facere præsumpserit, nihilo plus aget, quàm si cæcus de varietate colorum, surdus de concentu vocum arbitrari voluerit. Quum autem habeant hæc studia suam quandam tempestivitatem, nec serior ætas promendis Musarum foetibus idonea aut habilis esse videatur: illud maximè mirandum est, in nostro sene perpetuam ingenij alacritatem,



tem, & juvenutis indolem effloruisse, nec ullum ex senectute deliquium mens ejus unquam sensit, sed accessionem prudentiæ, & judicij maturitatem reportavit. Veneres & festivitates comitatæ sunt eum usque ad extremum ævi decursum. Sed ut picturæ lucē nihil tam commendat quàm umbra: sic non melius quàm obtrectationi & invidiæ creditur qualis quantusq; sit I O S E P H V S S C A L I G E R magni patris magna progenies, *Credo equidem, nec vana fides genus esse deorum.* Quid enim illi objectare possunt homines omni pudore diruti præter virtutem cui bellum indixerunt? quid imperitos malè urit præter infinitam eruditionem cujus radios nocturæ non ferunt? quid flagitiosos & scelerum sibi conscios quiescere non patitur præter integritatem morum, & vitæ sanctimoniam a qua longè sunt aversi? quid animas humiles, & egenas veræ laudis offendit, nisi

*Multa viri virtus animo, multusque recursans  
Gentis honos,*

quarum rerum fulgore perstringuntur? Sed impetrabiles sunt heroum filij morsibus calumniarū, nec infame genus bubonum officere potest luminibus Phœbi. An quidquam decedit magno Catoni quod Strumæ sedent in sella curuli, quodque se præterito Vatinius judicio fœcis Romulorum ad præturam est evehctus?

*Virtus repulsæ nescia sordidæ  
Intaminatis fulget honoribus,*

*Nec*



*Nec sumit aut ponit secures*

*Arbitrio popularis aure.*

Vt arbores altius radice terram comprehendunt quo  
fæuius ventorum furijs exagitantur: ita clarius illu-  
stratur, & purius enitescit dignitas & amplitudo præ-  
stantium virorum, quo magis obnoxij sunt telis ma-  
ligniorum, qui similitatem eorum affectant quorum  
similitudinem assequi vel propter improbitatem no-  
lunt, vel propter ignaviam desperant. Ipse Iove proge-  
nitus Hercules *diram qui contudit hydram*, qui omni  
genere monstrorum terras liberavit, & quem fama  
beneficiorum memor adscripsit numero Divorum,  
non prius invidiam debellare valuit, illã individuum  
virtutis labem, quã e rebus humanis exemptus ef-  
set. Noster etiam dum interfuit mortalium cœtibus,  
ita sublimitate mentis eminebat supra fatalem hanc  
luem, ut ejus omnem impetum eluderet, tanquam a  
scopulo fluctuum assultus frangi solent. Nisi quis je-  
junè malevolus putet florem dignitatis, aut hono-  
rem illustrissimæ propaginis, unde reges, & latè terra-  
rum domini prodierunt, quidquam detrimenti cape-  
re ex fœtidis scurrarum convitijs, quorum ne nomina  
quidem sine piaculo pronunciarı debent. Quis un-  
quam erupit in auras immanior & horribilior liber  
quã est SCALIGER hypobolimæus? nisi ipso fu-  
rore satis cruciaretur editor infandi operis, delegãdus  
esset carnifici. neque enim alia manu sanari potest tam  
vehemens morbus. Sed quid aliud quã detestabile

B 3 & abo-



& abominandum pareret vespillonis atque exoleti scorti progenies, plagiarius, fur, delator, crucis candidatus, & esca patibuli: monstrum in ultimas terrarum oras deportandum, & ex ipsis humanæ naturæ finibus exterminandum? Is omni colluvione scelerum ac flagitiorū execrabilis ausus est in sanctissimum senem, cui haud ita pridem tanquam deo literarum assurgebat, quem laudibus extollebat ultra quam fas est sperare mortali, in eum ausus est furcifer tam tetra, tam abominanda convitia jaculari, ut nihil impurius ex Averni faucibus tota furiarū cohors exhalare possit. Scilicet hæc nitidula sordes suas affricare studuit homini inculpatisimo, cujus conscientia major, aut intacta vitijs tantum abest ut se feriri senserit, ut potius inde collegerit segetem & materiem veræ gloriæ, sibi que impendio placere debuerit, quum displicet talibus vomicis & carcinomatis, quæ vivunt in opprobriū seculi, & in detestationē generis humani. Sed nunquam assequetur impurissimus scurra, perditæ profligatæque turpitudinis, & morum immanitatis, ut vel bonorum virorum innocentiam lædere, vel clarorum famam imminuere, vel fortium & generosorum indignationem mereri possit. Itaque noster heros fastidioso contemptu, & constanti silentio vindicabat se ab hujusmodi nebulone, ne luto manum inquinaret, aut voti compotem efficeret infamis famæ cupidum adversarium si irasci dignatus esset.



esset. hoc enim propositi habuit ut gloriosis inimi-  
 citijs inclaresceret, & per ruinam alienæ existima-  
 tionis ad famam grassaretur. Sed aquila non captat  
 muscas, nec unquam fando auditum est bubonem  
 obscœnum perijisse Pæanis arcu. Nos auriti testes  
 fumus quàm suaviter interdum jocos & dicteria  
 jaceret in ejusce notæ verberones, quos non tam  
 oderat ob improbitatem, quàm contemnebat ob  
 stultitiam. Et certè sibi met iratus, ac dignitati suæ  
 fuisset injurius, si cum tam dispari antagonista nul-  
 lam ad rem, quàm ad maledicendum idoneo con-  
 tendere sustinuisset, impar congressus Achilles in  
 eo certamine, in quo victoria est penes eū qui spōte  
 cedit, & vinci sese gloriatur. Tum autem, quāquam  
 vivimus in effœto virtutum seculo, & feracissimo  
 calumniarum, tamen non tam malè & sinistrè opi-  
 natus est de suis temporibus, ut crederet fore qui  
 tam portentosis & immanibus mendacijs animum  
 atque aures adverterent, præter eos qui simili mor-  
 bo vel nefandi sceleris, vel insanabilis dementiæ  
 conflictarentur. Sed nimis diu versor in infami ar-  
 gumento, dum tot verba perdo cōtra bipedum ne-  
 quisissimum, qui non existimavit probari posse sui  
 similibus se esse juratum virtutis & honoris ho-  
 stem, nisi principem ingenij, doctrinæ ac sapientiæ  
 maledictis incesset: quem quidem satis ulciscun-  
 tur mores sui. nam frustra sim, & cum ratione insa-  
 niã, si id genus animal oratione vel sanare, vel fau-  
 ciare



ciare postulem ut rubore suffundatur canis, cuius  
frons ferrea & ex sanguis depudere didicit, atq; om-  
nem humanitatis sensum a se penitus abdicavit.  
Olim artibus ingenuis, & homine libero dignis mē-  
tes mansuescere, mores expoliri credebantur, nunc  
ex hominibus in feras agrestes degenerant, & na-  
turam ipsam exuunt qui se literas amare glorian-  
tur. Cur enim tam ferociter insurgerent, tam intē-  
peranter debaccharentur lymphatici homines in  
eum quem omnes consentiunt probi primariū sæ-  
culi fuisse virum, & Principem Senatus literatorū?  
Hoc nemo in dubium vocat nisi sacrilegus & inte-  
stabilis. nec ullus de generis origine vel ipsi, vel opti-  
mo parēti litem unquam movit, quanquam mul-  
torum oculis observabantur omnes eorum actio-  
nes, nec effugisset curiosam malignitatis diligen-  
tiam si qua sinisterior suspicio animis hominum in-  
sedisset. Nunc exorti sunt fraterculi gigantum qui  
id attentarent quod omnium reformidaverat au-  
dacia. Sed non est mirum si canes latratu, porci cœ-  
no at fordibus delectantur. Interim manet æter-  
numque manebit immota veritas, nec loco cedit  
Scaligera nobilitas, quamvis exuta sit patrimonio  
majorum, & exterminata sedibus a vitis per injuriā  
potentiorum magno cum sæculi pudore. Non ef-  
fecit tamen fortuna quod voluit. Ea enim tantum  
eripuit quæ dare solet. Scientiam rerum plurima-  
rum, sapientiam, animum intelligentem divini hu-  
mani-



maniq; juris, constantiam in adversis, moderatio-  
 nē in prosperis, aliasq; heroicas virtutes non amisit.  
 Talia munera nec dono dātur, nec adimi cuiquam  
 possunt. Omnia sua secū portat magnanimus Bias  
 quum urbe & arce capta se solo beatus patriam re-  
 linquit, probamque pauperiem sine dote quærit.  
 Sed ex omni censu bonorum, quibus noster heros  
 ad miraculum usque suspiciēdus fuit, nullam lau-  
 dem reor esse comparādam cum pietate, & religioso  
 Numinis cultu. Quæ virtus tanto clarior haberi  
 debet, quo rarius in eruditis hominibus deprehen-  
 ditur. Dicam enim iusta cum indignatione id quod  
 res est: plerique scientiæ typho sic insolescunt ut  
 Deum vereri ac venerari dedignētur, quasi doctri-  
 na dux esse debeat ad induendos ritus Cyclo-  
 pum, & exuendam Numinis reverentiam, in quo sunt  
 omnes thesauri scientiæ ac sapientiæ recōditi. No-  
 ster autem immane quantum a Mezentij Divum  
 contemptoribus abhorrebat. Nullum genus ho-  
 minum (si homines dicendi sunt & nō potius bru-  
 tæ pecudes) tã inexpiabili odio averfabatur, & diris  
 atq; execrationibus devovebat, quàm atheos: nec  
 facile adduci poterat, ut crederet quenquam ita de-  
 sciscere a naturali lege & ratione ut Deum aut non  
 adoraret, aut nō putaret. Per multos quidem repe-  
 riri qui sic vitam instituerēt quasi nullus esset in cœ-  
 lo rerum humanarū arbiter ac moderator, qui quæ  
 nos gerimus audiret & contemplaretur, vindex sce-  
 lerum

C lerum



lerum, munerator rectè factorum. Sed tamē ubi suam quisque conscientiam interrogat, neminem se iudice absolvi posse quin sub domestico tortore sævius vapulet quàm si saxo saliat. has esse tedas ardētes, has furiarum faces quibus improborum mentes inquietantur, ut quidquid meruerunt semper expectent, & ultricem Nemefin accinctam flagello ante oculos versari arbitrentur. contra nihil securius posse dici animo sibi rectè conscio, *hic murus aeneus esto: Nil conscire sibi. Si fractus illabatur orbis impavidum ferient ruina.* Porro cum studio veræ pietatis, quam ante omnia coluit noster venerabilis senex, adjunxit amorem veritatis, quam & a patre didicerat, & prorsus in animum inducebat, esse basim ac fundamentum omnium virtutum. Simulationem ac dissimulationē refugiebat cane pejus & angui, tanquam hostem ingenuitatis, & quæ magnanimum pectus minimè deceret. Placuit illi generosa vox Achillis apud Homerum Iliad. I.

*ἐχθρὸς γὰρ μοι κείνος ὁμῶς αἶδ' ἀο πύλῃσι*

*ὅς χ' ἔτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσίν, ἄλλο δὲ βάζει.*

*odi aequè ac portas inferorum, eos qui aliud ore promunt, aliud corde condunt.* Hunc ille cursum vitæ peregit usque ad extremū spiritum. Solon qui & unus fuit e septem Græciæ sapientibus, & solus inter eos legum conditor, dicere solitus erat neminē esse numero beatorum adscribendum priusquam ad fatalem metā devenerit, & ultimū vitæ actum expleverit. hic est ille decretorius dies qui de oībus antea actis sententiā fert.

*Nam*



*Nam vera voces tum demum pectore ab imo  
Eliciuntur, & eripitur persona, manet res.*

Nullum tunc fingendi tempus est, nullus mimo locus. Optimè constat vitæ totius ratio ijs qui fortiter mori didicerunt. Videamus igitur quantum heic constantis animi specimen noster ediderit. Iam primum simulatque se morbo correptū sensit, continuo mens præscia futuri augurata est instare sibi ultimum ævi terminum: idque sermone & vultu ad firmitatem erecto denunciavit amicis. cumq; familiares aliquã spem recuperandæ valetudinis ostenderent, nec animum esse despondendum, ille contra de morbi sui genere coram summis Medicis tam peritè & accuratè disseruit ut rationibus ejus haud gravatè assentirētur. Tanta verò cum tranquillitate mentis certam sibi mortem impendère asseverabat, ut si in alieno foro versaretur, nec ea res quidquam ad se pertineret. Mox supremæ voluntatis curas ordinavit ne moreretur intestatus. Toto autem tempore quo domi defedit, aut lecto affixus fuit, sermones meram pietatem spirantes tanquam ex adytis effudit de misericordia Dei, de redemptione generis humani, de justificatione per fidē in Christum, de resurrectione corporum & animarum immortalitate, alijsque præcipuis religionis articulis: adeo ut jam tum cœlestis gloriæ primitias disse-  
rendo degustare videretur. Interdum vicem suam dolebat, quod ob imbecillitatem virium solemnibus studijs, & vitæ muneribus incumbere ultra non lice-



ret. Nempe animus priscae nobilitatis, & divinæ memor originis cogitabat Imperatorem stantem mori oportere. Nam si infimo generi gladiatorum curæ fuit ut honestè decumberent, quanto magis decet viros tum in humanarum rerum despicientia, tum in studio pietatis exercitatos hoc agere, ut constanter ac fortiter fati sui legem excipiant: ne velut inertes Poëte in extremo actu corruisse arguantur. Hūc casum pulchrè vitavit noster primarius seculi vir. Nam cū antea semper equabilem sui modum retinisset, tum in novissimo certamine, quo etiam filij deorum percelli solent, & de statu mentis exturbari, tanto robore animi, tantaque constantia munitum pectus habuit, ut nullo mortis metu sese perrumpi pateretur. Quin & ardentibus votis exoptabat cum Apostolo, mature liberari corporis ergastulo, & esse cum CHRISTO. Nihil aliud preces ejus spirabant præter fastidium hujus infelicis vitæ, & certam fiduciã immortalitatis. Quin & uberibus lacrymis deplorabat nimiam vivacitatem suam, quod ad ea usque tempora durasset quibus in dubium vocaretur meritum & satisfactio Servatoris nostri IESV CHRISTI, quem se propediem visurum esse confidebat sedentem ad dextram Patris omnipotentis. In hac spe & plenissima persuasione animam placide exhalavit, ut mors somno simillima videretur, & ad coelestem patriam commigravit, unde dono Dei tam ingens pignus ac depositum in terras trãsmissum erat. Ita nobis occidit magnus heros, cujus  
quidem



quidem occasum non ignavo luctu prosequi decet, sed memoriam pie inviolateque venerari. Corpus, hospitium illius illustris animæ, quæ terras omnes nomine suo implevit, hesternæ die compositum est tumulo, ubi exspectat resurrectionem quum æternus æterni Dei filius veniet jura factorum daturus vivis ac mortuis. Potior autem ejus pars cœlo recepta est ubi sempiterno ævo fruitur, & eam vitam agit quæ nec temporum metis, nec felicitatis modo circumscribitur: quam non oculus vidit, non auris audiit, non vox loqui, nec humana mens capere potest. Quapropter etsi non solum hæc Academia, verum etiam universa resp. literaria gravi damno ac vulnere afflictæ est ex tanti viri amissione, tamē illius beatitati potius gratulari nos oportet, quàm infirmo desiderio & muliebribus lamentis lugere ademptum, ne magis ob nostram jacturam dolere, quàm ob ejus commodum lætari videamur. Erigamus igitur animum, & fortibus solatijs leniamus ægritudinem: quod fiet si mentem componamus ad ejus exemplum atque imitationem. Tot præclara sui pignora nobis reliquit, quorum decus nulla posteritas filebit, memoriam nulla unquam oblitterabit oblivio. In ijs contemplari licet ingentis viri effigiem melius expressam quàm penicillo Apellis, aut cœlo Lysippi. Hæc nobis ad æmulandum proposita sunt. Nam si fumosæ majorum imagines quæ nihil intuendum exhibent præter externam corporis figuram, ardorem honestis mentibus addunt, ut eorum



laudes vita & factis repræsentare cõtendant, quanto magis animos nostros inflammari oportet ad gloriam & verum decus, quum diurna nocturna-que manu versabimus monumenta præstantissimi virorum? Vos o flos & soboles ingenuæ juventutis, qui huc a parentibus missi estis ut inde tanquam a mercatu domum redeatis aucti bonarũ artium proventu, quibus patriæ usui, vobis honori, amicis auxilio esse possitis, capeffite precor & amplectamini tam pulcram & præclaram occasionem. Non possunt omnes esse Catones aut Socrates. gratulandum est sæculo nostro, quod Leida primario, & singularis exempli viro tamdiu potita sit. Pulchrum & gloriosum est ijs qui ad summa contendunt si in secundis aut tertijs consistere possint. Nos ut captus est mediocrium, non deerimus tueri dignitatẽ literarum, nec deseremus honorificam stationem in qua nos bonorum suffragatio, & nonnulla doctrinæ opinio collocavit. Ad me quod attinet, polliceor ex animo profiteorque me nullo unquam tempore vestris utilitatibus & commodis defuturum. qua publicè qua privatim semper curæ & cogitationes meæ studiosorum juvenum temporibus devovebuntur. Extremum hoc erit, ut quod & mos & officij ratio præscribit, huic ornatissimo confessui gratias agam, quod tanta celebritate ac frequentia cohonestare dignati sitis hoc nostrum non ingenij aut eloquentiæ specimen, sed supremum pietatis



tatis munus atque humanitatis, devotum pijs manibus principis omnium ætatum viri in omnigenero literarum atque eruditionis.

*Habita est in auditorio Theologico Lugduni Batavorum, xxvi. Ianuarij MDCCIX. hora decima matutina, postridie ejus diei quo defuncti corpus sepultura mandatum fuit.*

Sonnet Acrostique sur le mesme.

I amais ne vis pussant moins superbe Mausole.  
 Ouvrage plus grossier, ni de moindre ornement:  
 Si estce toutesfois que tout l'or de Patole  
 Est peu de chose au prix de ce vil monument.

P assant, Il n'y avoit en ce monde autre Apolle  
 Hormis celui qui gist ci dessous maintenant:  
 SCALIGER dont l'esclat des louanges s'envole  
 Comme l'aigle, ou le trait descoché roidement.

A ussi fut il vivant des vertus l'Exemplaire,  
 Le Soleil des sçauans, des langues le repaire:  
 Image du grand IVLE ensuiuant ses beaux pas.

G rand en tout, Par sus tous: Si le corps comme l'ame  
 Est esté exempté de voir la froide lame,  
 Rien n'eust iamais esté de si rare icy bas.

R. I. de Nerée.



12  
...  
...  
...

...  
...  
...

...

...  
...  
...

...  
...  
...

...  
...  
...

...  
...  
...

R. J. de Nijder











